

**De morbo marino : dissertatio inauguralis medico-pathologica ... / auctor
Simon Theophilus Maennicke.**

Contributors

Maennicke, Simon Theophil.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Brüsckianis, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cx9m6qaf>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
MORBO MARINO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE X. M. MARTII A. MDCCCXXX

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

SIMON THEOPHILUS MÄNNICKE,

BERNBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. SCHMELZER, *MED. ET CHIR. CAND.*

B. MEYER, *MED. ET CHIR. STUD.*

E. CURTZE, *MED. ET CHIR. STUD.*

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHKIANIS.

DE
MORBO MARIÑO.

DISSERTATIO
EVALUATIONIS MEDICO-PATHOLOGICÆ

CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATISSIMI MEDICORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS LITHUANICÆ
IMPERIALIS GUILLIELMÆ

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORARIIS

Digitized by the Internet Archive
in 2016

PAULUS DE WANDT
AUCTOR
SIMON THEOPHILUS DE WANDT

OPPOSITORES:
E. SCHMIDT, M.D., PH.D.
B. MEYER, M.D., PH.D.
A. CURTIS, M.D., PH.D.

HAAGÆ, apud H. W. BLOK, 1854.

Morbus marinus.

Illa hoc nomine intelligitur affectio morbosa, quae apud mare navigantes navis agitationibus oritur, et qua omnes vexantur, qui primum mare ingrediuntur aut, quamquam jam pluries navigationi sese commiserant, tamen semper per longius temporis spatium terra commorati erant. Accidit nonnunquam, ut vetustiquoque nautae, mare violente tempestate concitato, iterum semper hoc morbo afficiantur; quae autem exceptio rarissima, nam plerumque consuetudine fit, ut corpus causis, morbum procreantibus marinum, non amplius moveatur. — Sunt alii quoque nonnulli corporis affectus, quibus magna cum morbo marino sit similitudo, nam eodem modo multi si mare aut fluminibus majoribus minori scapha vehuntur, nausea et vomitu corripiuntur. Celeberrimus Authenrieth hoc quidem

negat, sed S. G. Vogel (in compendio suo in usum medicorum) rem confirmat, et mihi quoque saepius occasio oblata est, in me ipso rem observandi. Hoc autem affectu non tantopere cruciamur quam morbo marino, nam neque agitationes tantae sunt extensaeque, neque navigium undis minoribus mox in altum ferri, mox in voragines praecipitari potest, quod tam moleste ferimus. Agitationum autem frequentia magnitudinem et diurnitatem earum supplere videtur, nam in navibus et secundo et non admodum vehemente flante vento, semper agitatio satis magna est, et tamen a nemine morbi accessio, propter minorem agitationum frequentiam, persentitur, cum navis propter magnitudinem et molem non tantopere ab undis ultro citroque jaculari possit. — Non raro homines inveniuntur, qui si rheda, praecipue spiris, e ferro recellente factis, suspensa et ita clausa ut aëri refrigerato aditus non pateat, vehuntur, vertigine et mox nausea vomituque tentantur, praesertim si ita in rheda sedent ut retroversum vehantur, quamquam major hominum pars nullam bonae valetudinis turbationem persentiat. Agitatio haec si cum illa navis comparat perexigua est, sed oscillans es et pensilis, et haec prae omnibus ad vertiginem excitandam apta est. Agitatione concutiente et conquassante difficilius vertigo procreatur, ut experientia nos docet. Quod in rheda omnino clausa bona vale-

tudo facilius turbetur facile explicari potest, nam in loco tam angusto. aër mox ut corrumpatur, et minus idoneus fiat ad inspirationem necesse est, et aër impurus et calidus ad vertiginem excitandam efficacissimus est, cum in contrario aër refrigeratus optimum sit remedium, ad vertiginem avertendam et sedandam, quam rem quivis fere ipse expertus est. Quod retrorsum vecti facilius a vertigine afficiamur, explicandum ex inconsueta motus ratione qua sensatio quaedam anxietatis in nobis gignitur, cum viam qua promoveamur quasi non voluntarie, oculis videre non possimus, et ab omnibus rebus nobis in conspectum venientibus vi quasi avellamur, sed sensatio haec ingrata sentiri facilius quam describi potest.

Affectiones hae, modo descriptae in ea re cum morbo marino conveniunt, ut eae quoque insueto corporis motu efficiantur. In morbo autem marino nonnullae aliae res accedunt, quae ad morbum citius procreandum et augendum certe non exigui sunt momenti. Ipse qui jam iter majus marinum suscepit, illum certe non fugit quot et quanti animi affectus in nos irruant, discessus ab omnibus propinquitatis et affinitatis vinculis nobis conjunctis nos ut expectari potest magna aegritudine afficit, animo ita affecto quae futura sint si prospicimus, sollicitudine ficta cruciamur; animo volvimus, quot periculis navigantes expositi sint, eventus quod ag-

gredimur itineris, ne prosper futurus sit timemus, timor morbi quoque marini nos invadit. Hoc animi statu corpus jam per se ad affectus morbosos proclivius est, accedit autem nova rerum conditio, vitae ratio mutata, odor minime suavis in navibus, facileque iutelligi potest, omnibus his rebns morbum non modo augeri, sed quoque moderari.

Non in quovis maritimo itinire et si sit primum afficiamur morbo necesse est, nam si omnes secundae sunt conditiones, si ventus navis cursui, secundus et non admodum vehemens, si tempestas serena ut multum in navis constrato versari possimns, fieri potest ut homo, qui conditionibus minus secundis certe afficeretur, nullam morbi accessionem persentiat. Vento secundo et non magnopere gravi agitationes non valde sunt vehementes, et in nemine ullum mali symptoma animadvertitur et si cursus rapidissimus sit, e contrario hac magna progrediendi velocitate valde impeditur et imminuitur alius quivis navis motus, cum propter hanc ipsam rem navis non cujusve undae motionem sequi possit, nam eas perscindens ab una ad alteram quasi volat. Sed ubi primum adversus cursui navis fit ventus, aut vehementius flare incipit, statim navis fortius et majore inaequalitate agitatur, mox ad unum inclinatur latus mox ad alterum, ut malorum apices undas tangere velle videantur, mox in sublime fertur mox in voraginem praecipitatur, mox puppis

mox prora elevatur. Praecipue haec scansio cum lapsu alternans prorae puppisque et totius navis, quae undis magnis et extensis efficitur, sensus torquet, inclinatio ad latera facilius fertur nam mox consuescimus, hos motus cum corpore sequi, ita ut semper statum celsum erectumque corpus servet, sed istis motibus modo descriptis non voluntarie celerrime in altum ferimur, et majore adhuc velocitate rursus imo petimus. Hae autem agitationes secundum navis magnitudinem valde differunt, navis minor jam vehementius agitari potest, ut omnes ad navigationem non consueti jam morbo corripiantur, dum sub iisdem conditionibus in navi majori motus adhuc minoris sint momenti, et nulla morbi signa animadvertantur. —

Nunc solitus morbi marini mihi describendus decursus. Agitationes postquam per breve temporis spatium duraverant, sensus quidam insuavis molestusque persentiri incipit, qui mox augetur, et ex quo omnia alia symptomata paullatim emergunt, primo caput sensu peculiari stuporis et surditatis occupatur, qui cito usque ad vertiginem crescit, nausea oritur, ructus saepius emittuntur, saliva in ore confluit, capitis dolor simul cum aucto calore auriumque tinnitu, praesertim in regione superciliarum major fit, vertigo augetur, et facies modo majore rubedine tincta, pallescit, et nunc levissima causa, exempli gratia odor insuavis, animi commo-

tio, aspectus undarum, quae maxima rapiditate aufugere videntur, sufficit ad vomitum qui quidem et sponte sed tardius intrasset, statim excitandum, et omnes, quos nuperrime edimus, cibi cum muco et bile mixti ejiciuntur. Vomitu hoc statim uagnum levamen affertur, malum, quo paullo ante gravissime afflicti eramus, omnino disparuisse videtur, sed proh dolor brevissimi modo temporis est levamen, nam mox omnia symptomata majore vi iterum apparent. Etiam non omnes tam cito levantur vomitu, nam sunt, quorum ventriculus nullo fere modo, aut non nisi maximo cum labore contenta foras ejicere possit, in hominibus hujusmodi omnia ad majorem gradum increscunt, acerrime ipsi cruciantur et fere ad desperationem adducuntur, et si tandem venit ad vomitum, frequentissimis intentionibus frustra factis, magnopere labefacti et vires eorum fere exhaustae sunt, nisi majus adhuc detrimentum acceperunt. Post primum vomitum si symptomata ad gradum quemdam iterum increverunt, vomitionibus frequentibus cruciamur et multis intentionibus frustraneis factis ventriculi musculorumque abdominis, tandem paullulum mucii et bilis, nonnunquam cum striis sanguinis, ejicitur. Hic autem vomitus secundus multo minus levaminis secum fert, et post quemvis vomitum, adhuc saepius repetitum, minus semper levamur. Incommoda valetudo nunc pervenit ad extremum, et non

nisi desperantes de continuatione hujus status cogitare possumus. Affectio autem corporis tam vehemens non perdurare potest, post duos tresve dies universalis oritur debilitas, organismus vim paulatim amittere videtur, reagendi in influxus incon-
suetos, et nunc acutum morbi stadium in chronicum mutatur. Sicuti stadium acutum, propter novitatem influxuum et energiam corporis integram, magna symptomatum designatur vehementia, stadium chronicum lentiore decursu distinguitur, nam organismus intentionibus frequentibus debilitatus, propter hanc ipsam debilitatem, facilius incipit assuefieri ad influxus insuetos. Omnino autem corpus ne moveretur, longo adhuc certamine opus esset, cum autem tempestates vehementiores non tam diu indurare possint, et bona valetudo serena cum tempestate simul redeat, morbus, sed plerumque paullo lenior, proxima venti intemperie iterum excitatur. Acuti stadii transitus in chronicum citius aut tardius consequitur, prout debilitas satis magna facta sit. Stadium chronicum quamvis etiam magnopere nos affligit, tamen neque tam periculosum, neque tam molestum est quam stadium acutum; nam vomitus rarior magisque expeditus, cum minori nausea antecedente, et major copia pituitosi liquoris cum bili parciore ejicitur. Somnus longior, quamquam eo modo mediocriter recreamur, nam saepius interpellatus et non sine somniis gravibus,

et expergefactis nobis caput occupatur sensu stuporis et surditatis. Languor in dies major fit, capitis dolor, qui antea magis regionem frontis supra supercilia occupaverat, nunc sedem habet in occipite. Cibi consumpti non statim ejiciuntur et paullo iis recreamur, sed ubi eorum digestio ad gradum certum progressa est ut jam magis assimilati non tantopere ventriculum incitent, nihilominus nauseam movent et tandem per vomitum ejiciuntur. In decursu morbi marini multa adhuc alia animadvertuntur symptomata, quae autem omnia corporis affectionem hujusmodi sequantur necesse est. Dolor tensivus in regione scrobiculi cordis initio statim morbi oritur, et quovis vomitu, quod et facile intelligendum ex magnis ventriculi musculorumque abdominis intentionibus, augetur. Sapor in ore est insuavis, insipidus et amarus, lingua muco tenaci albido aut flavescenti, praesertim tempore matutino post consurrectionem e lectulo, obtecta est, epidermis labiorum et oris interni alba fit et quasi praemoritur. Urina clara et colore obscuriore exigua copia excernitur. Cum nulli fere cibi in ventriculo remaneant, cum motus peristalticus versus anum motu antiperistaltico, vomitu frequenti excitato, valde turbetur, et per vomitum tanta mucii copia ejiciatur, ut in inferiore parte tractus intestinorum verisimiliter non satis mucii secernatur, excrementa per anum rarissime et tunc dura et non sine labore

ejiciuntur, et saepissime fit, ut per octo aut plures adhuc dies alvus omnino non deponatur, quae res saepius non sine periculo est, nam excrementa indurata obstipationem alvi pertinacem procreare possunt. Diaphoresis in stadio acuto propter perpetuam fere nauseam valde aucta est, et inter vomitum ipsum angoris sudor erumpere solet, hanc ob rem aegroti in hoc stadio loca petunt frigidiora. In stadio chronico autem diaphoresis magna ex parte suppressa est cum omnes fere organorum corporis functiones tarde procedant, et calor modicus magnae est utilitati, cum aegrotantes semper fere frigore horreant. Si in utroque stadio nocte sudor aequalis quavis re provocari potuerit magno nobis totius status levamini est.

Hoc corporis statu graviter afflicto mens quoque necesse est afficiatur et mutetur aliqua ratione. Animo minus fracto, si cogitamus morbum per plures adhuc dies instare posse, ad desperationem fere adducimur; morosi sumus, stomachosi, solitudinem petentes. Sunt qui magnopere timent, ne morbo conficiantur, alii mortem ut finem molestiarum exoptant, et nonnullos tantum capit vitae taedium, ut mortem ipsi petant. Omnino idonei non sumus ad quemvis laborem mentem paullo intendentem, vix cogitationem aliquam concipere et eam persequi possumus, quod autem in tanta virium prostratione et capitis temulentia vix alio modo

expectari possit. Cogitationes si quas percipimus modo tristes sunt, homines alias laetissimo animo lentitudine torpent, omnibus rebus laetioribus antea nobis gratissimis renuntiassse videmur, expectatione rerum maxime exoptatarum fere non tangimur nonnullarum dierum temporis spatium per quod morbus durare possit aeternum tempus nobis videtur, et quaevis cogitatio laetior statim sensatione incommodae valetudinis fugatur.

Sicuti autem venti vehementia mitigata est, malum cum omnibus tormentis citissime evanescit, et nihil fere remanet, lassitudine magna artuum excepta. Si vespera, vento furiente, aegrotantes et animo demisso somno suppressi eramus, nocte autem venti vis omnis ceciderat, tempore matutino magno-pere timentes de morbi molestiis iterum perferendis expergefati, maxima laetitia afficimur, si praeter expectationem, navis cursu stabilem, agitationes aequales et exiguas invenimus. Etiam somno recreati sumus, et capite a vertigine liberato omnibusque morbi symptomatibus, lassitudine excepta, fugatis, omnia haec phantasmata tristia, animum frangentia evanescunt, nosque pudet animi nostri demissionis. Ubi primum autem mare iterum ventis jactari incipit, paulatim omnia symptomata redeunt, et mox status idem fere fit quam antea. Secunda haec accessio plerumque paullo jam mitior

esse solet, et sunt quamquam rarissimi, qui iterum omnino non afficiuntur, praesertim si tempus intermedium non admodum longum erat, nam hac re denuo a consuetudine recedimus. In nonnullis hominibus, quorum ad hujusmodi affectiones proclivitas perexigua est, morbus ad hunc vehementiae gradum non provehitur, nihil fere persentiunt nisi stuporem aliquem capitis, ad summum vomunt bis aut ter, et una aut duabus diebus ita peractis, integra valetudine iterum gaudent causis morbum procreantibus adhuc instantibus, nam horum organismus jam hoc brevi temporis spatio ad influxus hos insuetos plane induratur. Inveniuntur e contrario, quorum organismus nunquam fere, etsi per multos annos mare navigarent, plane ad has agitationes assueferi possit, et sunt nautae vetusti, qui quovis vehementiori venti impetu iterum semper vertigine, nausea et vomitu afficiantur. Saepius quidem fieri solet, ut tempestate vehementissima furienti, omnes nautae, exiguam aliquam bonae valetudinis turbationem persentiant, quod autem mihi timori periculi imminentis tribuendum videtur. Quibus omnino ad hujusmodi affectionem receptivitas desit, qui in ipso primo itinere maritimo, fortissimis navis agitationibus non tangantur et ne vestigium quidem vertiginis persentiant, rarissimi inveniuntur.

Mirum certe, quod affectio tanta, cum ingentibus totius corporis intentionibus frequentibus conjuncta, non saepius sequelas perniciosas relinquat. Causae malum procreantes quidem non admodum diu indurare possunt, nam raro ventus fortior diutius quam dies circiter sex perseverat, hoc autem temporis spatio corpus jam conficiatur necesse est, si eadem semper mali nos vexaret vehementia. Stadium autem acutum, quod maxime nos in periculum arcescit, plerumque modo dies duos tresve perdurat, in hoc stadio propter influxuum novitatem corpus vehementissime irritatur, et vomitus frequentior et multo majore difficultate fit quam stadio chronico, et ex hoc ipso vomitu propter magnam intentionem praesertim noxia oriuntur. Plerumque vento mitigato, morbus nullas relinquens sequelas perniciosas, citissime disparet, et nihil nisi debilitas totius corporis et sensus aliquis capitis stuporis remanet. Vires brevi tempore restaurantur, et mox eadem atque antea gaudemus bona valetudine. Si terram ingredimur gressu incerto et vacillante incedimus, cum tantopere assueti simus ad navis agitationes, ut corpus sponte hos motus sequi velit.

Ad sequelas morbi marini praecipue numerandae sunt herniae, haemorrhagiae, languor totius corporis diuturnus a quo tarde recreamur, magna debilitas et irritabilitas ventriculi, qua per totam vitam vexari possumus. Nonnunquam fit, ut sordes, morbo,

causis ejus cessantibus, interrupto, in ventriculo remaneant, et in hoc casu post vomitum navigantium emeticum lene utilitati est. Morbo marino rarissime certe quis conficitur, nisi cum aliis morbis jam per se non levibus complicatus fuerit.

In nonnullis morbis marinus morbus etiam saluti esse potest, exempli gratia in omnibus morbis chronicis, (nam acuti semper auferentur), qui per methodum resolventem, per medicamenta nauseam aut vomitum moventia sanari possunt, nam naus agitationes eodem modo sed paullo fortius in corpus agunt, quam medicamenta modo nominata. Nausea tam diu perseverans, excitatio totius corporis, salubrem organismi immutationem efficere possunt, ita ut omnes functiones maiore cum energia procedant.

Omnes fere homines, qui primum mare navigant, nisi res admodum secundae sint, hoc morbo afficiuntur, nam dispositio et proclivitas in structura organismi hominis constitutae sunt. Nulla corporis constitutio; neque firma neque debilis, nulla aetas neque infantilis nec provecta, immunis hoc morbo. Experientia autem edocti sumus, homines aetate senili et infantili, minus moveri quam aetate puerili et adolescentiae, et ex his, capillis flavis aut rufis et constitutione tenera praediti, et sexus foemineus maxime afficiuntur. Magna systematis nervorum mobilitas et peculiaris ventriculi irritabi-

litas praecipue morbum fovere videntur. Generatim dici potest, homines constitutione debiliori, cum magno cranio, gravius vexari, sed regula haec non sine multis exceptionibus, nam non raro fit, ut homines infirma corporis constitutione parum modo afficiantur, dum robustissimi magnopere laborant. Saepissime quoque videmus homines firma constitutione, rheda retroversum vectos, multa incommoda persentire, dum valde debiles et irritabiles eadem conditione non moventur et plane ad vertiginem non proclives sunt. Ex his modo dictis intelligi potest, dispositionem ad morbum marinum non certa aliqua corporis constitutione inniti. Incolae orae maritimae minus eo vexari solent quam a mare remotius habitantes.

Vertigo sine dubio symptoma est principale, quo affectio organismi abnormis oculis nostris se praebet. Vertigo morbum adventantem indicat et per totum ejus decursum continet, reliqua symptomata, nausea, vomitus et caetera, ab ea provocantur. Qua autem ratione vertigo navis agitationibus procreetur, quae partes primo, et quomodo afficiantur, quaerendum est. Quaestio autem haec difficillima est responsu, et quamquam jam multi operam dederunt rei huic explicandae, a multis conjecturae partim ingeniosissimae partim ineptae propositae sunt, tamen res minime illustrata est. Quod res hucusque tam sit obscura, magna ex parte

causa in eo est, quia pauci modo viri, si cum aliis rebus comparamus, quamquam inter hos nonnulli celeberrimi, explicandae huic rei operam sufficientem navaverunt. Nam si quis accurate de hac re dicere voluerit, ipse saepius necesse est, hoc morbo laboraverit, aut saltem saepius eo laborantes viderit. Sine hac experientia et autopsia imaginem morbi vividam et veram mente concipere non possumus et hoc plane necessarium mihi videtur, ad rem bene dijudicandam. Sed tunc quoque in difficultatem incurrimus, quod quivis morbo marino affectus per totum morbi decursum, plane non idoneus sit ad tranquille et argute judicandum, sed abhorremus potius a quavis animi contentione, et si vinceremus hanc segitiam tamen animi nostri facultates oppressae quasi morbo sunt, et morbo fugato jam nonnullae res e memoria nostra elapsae sunt. Quam ob rem non mirum, quod Authenrieth, Larrey, Wollaston et alii qui rem ipsi experti sunt eam non explicaverint.

Wollaston in sententia est, vertiginem pressione sanguinis in cerebrum, quae accipiatur quotiescumque navis in altum allata subito magna velocitate imo iterum petat, provocari. Nam omnium, inquit, testimonio, si vertiginem plane omittimus, momentum lapsus navis omnium molestissimum est symptoma. Hoc lapsu celeri momentanea circulationis sanguinis turbatio efficitur. Nempe putat

lapsum navis, vi cordis sanguinem ad caput pel-
 lentis auxilio, refluxui autem sanguinis per venas
 impedimento esse, et hoc modo momentaneam ce-
 rebri sanguine expletionem nimiam oriri. Res ita
 si se haberent necesse esset, adscensu navis refluxus
 sanguinis per venas acceleraretur et vis cordis coer-
 ceretur. Hac ratione certe cerebrum, mox nimia
 sanguinis copia repletum, mox inanitum esset. Ta-
 lis autem sanguinis circulationis turbatio concedi
 non potest, et sequelae multo graviores et perni-
 ciosiores quam vertigo proficerentur necesse esset,
 nam certe quisque ipse expertus est, quo sensu ad
 lipothymiam fere accedente afficiamur, si, postquam
 caput versus terram demiseramus subito nos eri-
 gamus. Hic sensus sine ullo dubio cerebri inaniti-
 one oritur, nam sanguis in cerebro accumulatus
 subito refluit. Adspectus corporis in morbo marino
 congestiones sanguinis versus caput plane non indi-
 cat, primo modo initio aliqua faciei rubedo et calor
 cum aurium tinnitu animadvertuntur, jam ante pri-
 mum vomitum facies iterum pallescere incipit. In-
 ter vomituritiones congestiones ad caput fieri, negari
 non potest, vomituritiones autem haec rtigine pro-
 vocatae sunt et congestiones, quas movent, igitur
 vertigiuis causae non esse possunt. Si vera esset
 Wollastonii haec sententia, omnes sine ulla excep-
 tione morbo afficiantur necesse foret et corpus vix

unquam ad has congestiones assuefieret, videmus autem nonnumquam homines, qui omnino morbo hoc non tententur, et plerisque fit consuetudine, ut iterum eo non moveantur. Rhedis quoque vecti saepius vertiginem persentiunt, et in hoc casu ingentes hae agitationes omnino desunt, quas Wollaston ut congestiones ad caput et hac ipsa re vertiginem moventes accusat. Quod in lectulo cubantes aliquid levaminis percipimus, sententiam Wollastonii confirmare videtur, nam hoc corporis situ illa circulationis turbatio fieri non possit, mihi autem res haec explicanda videtur ex quiete, qua omnes corporis partes hoc situ gaudet, nam, nobis tanta lassitudine artuum occupatis, intentione musculorum ad statum erectum, praesertim inter magnos navis agitationes necessaria, aegra valetudo augeatur necesse est.

Kerandren vertiginem ex conquassatione viscerum abdominis, nervi phrenici et nervorum ventriculi pulmonumque derivat. Nulla alia, inquit, conditione corpus cum intimis visceribus tantopere excitatur, quam agitationibus navis, si statum erectum servare volumus, quemque navis motum corpore sequi coacti sumus, hoc autem primum iter maritimum facientibus impossibile fere est, paene nos a lapsu sustinere, vix gradum facere possumus nisi apprehendentes manibus rem aliquam adstantem, quemque navis motum, quemque pulsum graviter

percipimus. Magnopere molestamur navis illo adscensu et praesertim lapsu alternante cum adscensu, intestina in cavitate abdominis quasi librantia vehementer his motibus conquassantur, unde isti dolores tensivi molestissimi in regione ventriculi nascuntur. Eodem modo alternantibus his navis motibus diaphragma concutitur, nam contractiones et extensiones hujus musculi non semper cum adscensu et lapsu navis congruentes et ejusdem temporis esse possunt. Navis si imo petit, intestina abdominis diaphragma sursum premunt; et si hoc momento accidit inspirationis, ubi diaphragma descendere deberet, hoc non sine difficultate fieri potest. Si autem navis in altum fertur, intestina abdominis ad inferiorem cavitatis abdominis partem immittuntur, et hoc quidem in momento, ubi diaphragma ad expirationem perficiendam surgere deberet. Hujusmodi est respirationis turbatae mechanismus. Intestina abdominis ita conteruntur et premuntur, ut facillime affectio spastica et contractiones ventriculi exoriantur.

Haec vertiginis explicatio minus probanda est quam Wollastonii. Intestina plane inepte librantia in abdomine nominat, quodvis enim intestinum per se et omnia inter se tali modo affixa sunt, ut motus eorum aliquis librans cogitari non possit, cavitatem abdominis ita omnino explent, ut ne minimum quidem spatium vacuum reliquum sit, insuper

musculis abdominalibus et diaphragmate ita comprimuntur, ut motus singuli intestini aut frictio plane impossibilis sit, intestinum singulum non nisi cum toto abdomine moveri potest. Si contererentur intestina inter se non modo affectio spastica et contractio ventriculi, sed necessario inflammatio vehementissima oriretur, quae, causis perdurantibus, brevi tempore ad gangraenam usque auferetur et tandem cum sphacelo omnium intestinorum mors inevitabilis esset. De his autem omnibus nihil nobis in conspectum venit. Loquitur quoque de conquassatione intestinorum et nervorum, intelligere autem non possum, qua ratione navis motibus conquassatio procreari possit, nam motus pensilis et oscillans navis in contactum non venit cum corporibus duris, aqua potius confestim ei cedit irruenti. Sumus etiam experientia edocti, motum conquassantem et pulsantem non tam idoneum esse ad vertiginem excitandam, nam rheda spiris non pendentibus, via aspera vecti, difficilius quam rheda spiris pendente, vertigine et nausea afficimur.

Larrey et alii in eo consentiunt, vertiginem motibus navis inaequalibus, quibus corpus conquassetur, provocari. In cerebro autem propter peculiarem substantiae ejus mollitiem hae conquassationes contrahi praesertim in regione originis nervi vagi, quo affectio haec ad ventriculum et ex hoc ad omnia reliqua viscera per sympathiam pro-

pagatur. Haec etiam explicatio mihi non apta videtur, cum conquassatio cerebri non minus quam reliquorum intestinorum neganda mihi videatur. Certe primo cerebrum afficitur sed verisimiliter alia ac mechanica ratione.

Miller causam vertiginis in morbosa quadam actione aucta organorum sensus visus, profecta insueta ex motione omnium rerum, se invenisse putat, secundum ejus sententiam aucta hac oculorum actione, illa ventriculi imminuitur. Examinantibus nobis paullo accuratius hanc sententiam, mox ejus vanitas perspicua erit, nam oculis coeci, in quibus actio oculorum certe augeri non potest, non minus afficiuntur, praeterea necesse esset, morbus cessaret si oculi obligarentur, res autem plane alio modo se habent.

Simili modo Bourru rerum varietatem, impressionumque ad nervos opticos, accusat. Mare certe non magnam rerum varietatem invenimus, e contrario nullae res praeter coelum et aquam oculis nostris sese praebent, nisi fortasse quis undas in propinquitate navis immotis oculis obtueri vellet.

Etiam ex aura maritima et insuavibus in navi odoribus nonnulli rem explicare conati sunt. Quod praecipue odoribus his morbus acceleretur minime dubium, sed non juvantibus aliis rebus morbum procreare non possunt, cum tempestate secunda et

serena odores hi non desint et tamen nemo corripiatur.

Facile intelligi potest de sanatione hujus morbi remediis plane cogitari non posse, dum causae, navis agitationes, continentur, has autem sedare non in nostra potestate situm est. Curatione, ut minus molestemur, ut avertantur sequelae perniciosae efficiendum est.

Curationem hic instituendam in partes tres dividerem, quae sunt: 1) Ratio se habendi quod attinet ad occupationem aptiorem mentis et corporis, ad vestitum, et caetera, 2) Victus ratio, 3) Medicamenta stricte sic dicta quae adhiberi possint.

Omnia autem haec accomodanda sunt diversis morbi stadiis, nam facile intelligitur, curationem, victus rationem et alia in stadio acuto non eadem esse posse quam in stadio chronico.

Ratio se habendi quod attinet ad res externas: In stadio acuto vestes non sunt nimis calefacientes, nam calor nimius pejorem statum reddit, cum corpus, ut ita dicam, febrili modo intensum sit; frigore autem temperationi valde recreamur. In stadio chronico, ubi status corporis passivus et exhaustus est, calor prodest. Nocte in utroque stadio integumenta calidiora commendanda sunt, praecipue, si his sudor aequalis, quo magnopere recreamur, provocari potuerit. Quantum fieri potest in con-

strato navis commorandum est, cum aër refrigeratus et purus magno sit utilitati, e contrario autem aër impurus, odoribus insuavibus infectus in conclave navis, jam per se fere nauseam et vomitum excitare possit. In media nave, in regione mali magni, motus navis non tantopere persentiuntur, locus igitur aptissimus est, ut in eo versemur. Etiam si paullulum pluit, aut rore vespertino in acuto stadio in constrato commorari prodest, cum inde caput refrigeretur nosque tum valde recreamur. Tempestate calidiore umbra velorum petenda. Si autem nimis debiles et labefacti statum erectum servare non possumus, in constrato navis, aut hoc si fieri non potest, in lecto procumbendum, quia hoc corporis situ non quivis motus tantopere persentitur. Lectus firmus aptior ad dormiendum quam lectus pensilis. Nautae, qui acriter laborare coguntur, etiam primo itinere minus afficiuntur morbo, hanc ob rem corpus ambulando aut alio modo commovendum est. Hoc autem saepius praecipue in navibus minoribus fieri non potest, et modo inserviret ad morbum praecavendum, nam si morbus jam adest, motus quisque fortior propter magnam lassitudinem artuum noceret. Cavendum est, ne undas diutius immotis oculis intueamur, qua re facillime nausea et vomitus provocatur. Meditationes attentae, ipsi lusus animum magis attendentes fugiendi sunt, cum his major capitis dolor provo-

cetur, nam sensorio jam ceteroquin affecto, quaeque animi intentio non sine incommodo fertur. Colloquia autem suavia aut alia oblectamenta, lusus mentem non intendentes, maximae utilitati sunt, cum animum, ad morbum attendentem, suaviori ratione occupent. Phantasia imaginationibus et consiliis gratis occupanda est, nam animus, cum omnino otiosus esse non possit, nisi alio occupatur, moerari et tristissimis cogitationibus datur. Omnes vestes corpus presse ambientes, exempli gratia vitæ colares, fasciae crurales, zonae, in magnis ad vomitum intentionibus, nocivae esse possunt. Vomitus, nobis in genua subsidentibus pectore pronum et capite corpori alicui firmo acclinato, multo expeditius procedit, et in hoc corporis situ impetus sanguinis ad caput avertitur, cum pulmones satis extendi possint, herniae quoque nasci non possunt, cum annuli abdominales et regiones inguinales femoribus afflexis tecta sint. Post vomitum altissima corporis quies, ad proximum vomitum quam diutius avertendum, necessaria est. Pressio lenis ad regionem ventriculi applicata, ad vomitum prohibendum, et capitis compressio vitta ad vertiginem mitigandam utilitati sunt. Lotiones totius corporis aqua cum aceto vini saepius repetitae commendantur. Tempore matutino os aqua eluendum est, ut mucus tenax amoveatur. Quo frigidior locus ubi versamur in stadio acuto, eo melior.

Quod ad victus rationem, haec observanda sunt: Primo cavendum est ne, ventriculo cibus repleto, in navem adscendamus, nam morbo irruente digestio ita turbatur, ut cibi concoqui non possint, ventriculumque molestant. Omnes cibi adiposi dulces, omnia aromata odorem fortiorem spargentia evitanda sunt, alioquin postea per multis annos taedio nobis sunt. Generatim temperantia magna observanda est, ita ut semper fere paullo esuriamus, fame autem ne cruciemur et debilemur non minus curandum est. Optimum est, ut saepius, sed pauca semel edamus, maxime autem cavendum, ne ventriculus cibus obruatur. Cibi faciles sunt ad concoquendum et paullo stimulant, potus refrigeratus et acidulus, caffee sine lacte non commendatur, cum jam per se nonnullis nauseam moveat. Ventriculus cum sit valde debilitatus vomitionibus frequentibus, cibi necesse est, aromatibus adjectis, exempli gratia, sinape, pipere, zingibere, allio, faciliores ad concoquendum reddantur. Omnia, quibus non irritatur ventriculus paullo, tarde concoquantur, et corrumpuntur in ventriculo, hanc ob rem aceti vini inter coenam frequentior usus utilis est. Tempore coenis intermedio, pruna totta, fici siccatae, saccharum, ad alvi obstipationem avertendum edi possunt. Jusculum carnis acidulum, cibi mucilaginosi additis aromatibus ad insipiditatem

imminuendam, commendantur. Cerevisia spumans ad potum aptissima est propter acidum carbonicum in ea contentum, quo ventriculi affectio mitigatur, deinde aqua cum aceto vini, aut vini rubri aciduli, interdum pauxillum vini meri, infusum theae concentratum; vinum adustum merum ventriculum nimis irritat, sed cum aqua mixtum non contemnendum est. Vomitus si difficiliter procedit, nautae aqua marina utuntur, qua certe propter saporem nauseam moventem et sales in ea contentos, accelerari possit. Modicus herbae Nicotianae ad fumum sugendum usus iis commendatur, qui jam plane ad eam assuefacti sint, nam aliis nauseam provocaret.

Medicamentis stricte sic dictis rarius utuntur, cum plerumque medicus non adsit, a quo ordinarentur, et vix multum proficerent. Generatim medicamenta ex classe amarorum, aromaticorum et antispasmodicorum, apta essent. Manducatio corticis chinae ad ventriculum roborandum commendatur, infusum vinosum radicis Gentianae pyrosin, saepius nos torquentem, oppugnat. A celeberrimo C. W. Hufeland tinctura corticum aurantium fruttulo sacchari instillata, et externe emplastrum ad regionem ventriculi applicandum commendatur; hac utitur formula R Empl. de Galbano crocato unci-
am unam, Camphorae et Opii singulorum drach-

mam dimidiam, Salis volat. C. C., olei Cajeput
singulorum scrupulum unum. Malaxentur. Si me-
dicamentis alvus laxari potuerit, morbus omnino
non apparere dicitur.

Vitae curriculum.

Ego Simon Theophilus Maennicke, confessioni addictus evangelicae, die XXII m. Martii anno MDCCCVI. Bernburgi natus sum. Patrem veneror Joannem Theophilum Maennicke, scrinarium, atque matrem Mariam, e stirpe Salomé. Primis literarum rudimentis imbutus, anno aetatis decimo gymnasium Bernburgi frequentare incepti. Duodecimo autem anno aetatis, ab avunculo Joanne Salomé, mercatore habitante Petropoli, pro filio adoptatus sum. Petropoli per quadriennium integrum moratus, ad studia persequenda iterum in Germaniam petii, et gymnasio Bernburgi florente per annos quatuor a me frequentato, testimonio maturitatis instructus, die IV m. Octobris anno MDCCCXXVI. ab Illust. Boeckhio, rectore t. t. magnifico, civis sum factus universitatis literariae Frid. Guilel., nomenque apud Illustr. Link, facultatis medicae t. t. decanum, professus sum. Per annos duos his interfui lectionibus: Ill. Rudolphi de anatomia uni-

versa, de anatomia comparata, pathologica, nec non organorum sensuum, de physiologia, de methodologia et encyclopaedia medica; Ill. Knape de osteologia, syndesmologia et splanchnologia; exercitationibus anatomicis practicis ab Ill. Knape una cum Ill. Rudolphi moderatis quoque interfui; Ill. Link de botanice, de historia naturali et toxicologia. Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Schulz de plantis officinalibus; Ill. Hermbstaedt de chemia et physica; Ill. Ritter de logica; Ill. Hecker de pathologia et therapia tam generali quam speciali; Ill. C. W. Hufeland de therapia morborum nervosorum; Ill. Fr. Hufeland de semiotice; Ill. Osann de materia medica; Ill. Casper de morbis infantium et de arte formulas concinnandi; Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali; Ill. Kluge de fracturis ossium et luxationibus.

Ad studia persequenda Halam petii auctumno anni MDCCCXXVIII, ubi ab Ill. Mühlenbruch prorectore t. t. magnifico numero civium academicorum adscriptus sum. Per semestre unum his usus sum lectionibus: Ill. Weinhold de chirurgia generali et speciali, de morbis oculorum; Ill. Germar de mineralogia; nec non interfui exercitationibus clinicis medicis Ill. Krukenberg, et chirurgicis Ill. Weinhold.

Vere anni MDCCCXXIX. Berolinum reversus ab Ill. Klenze rectore t. t. magnifico, denuo civis

universitatis sum factus. Lectionum, quibus per annum interfui hic fuit ordo. Ill. Kluge de arte obstetricia tam theoretica quam practica, de akiurgia; Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Rose de chemia pharmaceutica. Exercitationibus clinicis medicis Ill. Bartels et Cel. Wolff, chirurgicis Ill. Rust et Ill. de Graefe, et auscultando et ipse aegrotantes curando interfui.

Peracto hoc studiorum medicorum cursu et tentamine examineque rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Proclivitas ad morbum marinum structura organismi nostri constituta est.

II.

Dispositio ad morbum marinum nulla certa aliqua corporis constitutione praecipue fovetur.

III.

Morbus marinus saepius salutaris.

IV.

Morbus marinus per se nunquam mortifer.

V.

Morbo marino atque emeticis idem effectus.

VI.

Contorsio arteriarum a Thierry et Amussat commentata mihi refutanda videtur.

VII.

Sanguinis circulationem a cordis tantummodo vi pendere contendo.
